



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio III. De Impedimentis Libertatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

PROBATUR 3. Quia interrogata illa potentia passiva; An vellet recipere formam deberet respondere, ut ita dicam, volo: hoc autem volo non est ipsa entitas potentiae: quia aliàs sicut semper retinet entitatem, ita semper retineret volo recipere, adeoque non esset indifferens ad recipiendum, adeoque illud volo recipere debet esse aliquid distinctum ab illius entitate: hoc autem non potest esse aliud, nisi aliqua actio illius, & aliquis motus. Et certè si detur potentia, in quam efficiens inducere non possit formam nisi consulat potentiam passivam, an sit liberè receptura, non potest videre an sit liberè receptura, in ipsa entitate potentiae: quia entitas supponitur indifferens ad utramque partem: Ergo debet id videre in aliqua determinatione quocunque tandem modo salvabili & appellabili à te, modò sit aliquid præter ipsam entitatem, quod solum vel maximè in præsentì intenditur.

Censet quidem Tridentinum *sanctificari nos per voluntariam susceptionem gratiae & donorum*: sed illo loco vult quidem ad infusionem gratiae præcedere motus nostros supernaturales, sed non vult posse libertatem potentiae salvari, sine ullo actu.

Supponunt etiam hæ Probationes & Conclusio, quòd omisso libera & tamen sine ullo actu dari non possit: de quo aliàs in materia de Peccatis & Gratia.

QUÆSTIO III.

De Impedimentis Libertatis.

DE impedimento petibili ex Prædeterminatione, Decreto efficaci dictum in prima parte, & ostensum etiam quòd per Prædefinitiones quales à nostris tenentur non paucis illæsa maneat Libertas. Aliqua alia hic expedienda.

QUÆRES 1. *An Deus voluntatem necessitare possit eodem numero concursu quo concurrisset ad actum liberum?*

ASSERO I. *Quòd hoc solo titulo, quia est indifferens concursus, non possit necessitari voluntas.*

RATIO. Quia hoc titulo quòd aliquid non sit necessitans non potest necessitare, sicut nequidquam dealbat hoc ipso titulo, quia album non est. Hoc autem quia est indifferens concursus, est concursus non necessitans: Ergo

ASSERO 2. *Posito per possibile vel impossibile concursu indifferenti, & tamen posito decreto divino ad unum determinante auferretur libertas.*

RATIO. Quia libertas est indifferentia agendi vel non agendi, vel agendi oppositum positum omnibus prærequisitis; jam autem posito illo decreto utpote efficaci & prærequisito ad agendum, non posset non agere causa.

DICES 1. Deus non potest facere ut cum qualitate necessitante homo operetur liberè: Ergo nec potest facere, ut cum qualitate indifferenti operetur necessario.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia ad hoc ut aliquid dicatur liberè agi ex vi definitionis, sequitur ut nihil sit ex prærequisitis determinativum; quia si sit determinativum non potest non sequi operatio: Jam autem id, quòd sit necessariò, falsum est quòd omnia prærequisita ad agendum debeat habere necessaria. Supponitur autem hic præter concursum indifferenter esse appositum decretum determinans.

DICES 2. Concursus Dei ordinarius, quo concurrat cum voluntate creata est talis conditionis ut ei possit voluntas resistere: Ergo per illum nequit voluntas necessitari.

RESPONDETUR. Quòd per talem concursum extra circumstantiam decreti determinantis, non possit voluntas determinari: secus ex suppositione talis decreti.

DICES 3. Solum decretum Dei extrinsecum non potest facere, ut ignis non comburat stupam persistente eodem concursu ex parte Dei: Ergo nec necessitare potest voluntatem ad operandum concursu indifferenti.

RESPONDETUR. Disparitatem esse eo, quòd concursus exhibitus igni sit determinatus nonnisi ad unctionem, consequenter necessariò sequitur ultio: quia necessarium non definitur per hoc, ut omnia principia sint determinata: Jam autem libertas definitur per hoc, ut omnia principia sint indifferentia. Hinc quamvis concursus esset indifferens, & supponeretur decretum Dei determinatum, adhuc auferretur libertas.

ASSERO 3. *Indifferens secundum potentiam obedientialem acceptum potest assumi à Deo, & elevari ad necessitandum.*

RATIO. Tum quia nulla in hoc implicantiā: nec ostendi potest hoc esse extra sphaeram potentiae obedientialis. Tum, quia potest assumi ignis ut miraculosè producat frigus: Ergo etiam potest assumi indifferens ad necessitandum. Tum, quia actus necessarius stat cum hoc, quòd proficiatur ab extrinseco, unde & coacta ab extrinseco principium habent: Ergo etiam poterit proficisci necessitatio ab eo, quòd in entitate sua non est necessitativum. Cæterum non erit adhuc tunc illud auxilium in entitate necessitativum: quia elevatio Dei naturas rerum immutare non potest: Ergo si auxilium illud vel concursus naturæ suæ indifferens erit, etiam posita elevatione indifferens erit. Et sicut ignis elevatus ad producendum frigus, non evadit adhuc naturæ suæ frigidus; ita nec auxilium indifferens elevatum ad necessitandum erit necessarium in entitate. Hinc istud auxilium erit necessarium non nuli

caus.

causative. Quod autem dicitur de auxilio indifferenti idem proportionaliter dici debet de auxilio necessario, quod scilicet divinitus assumi possit ad ponendum aliquid liberum constitutivum Deo, ut causative evadat liberum per positionem exempli gratia alicujus qualitatis restringentis vim ejusdem, multo magis procedet assertum si dicatur assumi lignum ad com-
produendum actum liberum &c.

Ceterum posito decreto determinante videtur non posse dari concursus indifferentem vel auxilium, si nihil insuper superaddatur: Ratio, quia per nihil transiret (in sententia actum Dei liberum per connotata salvante) illud Decretum a non esse determinantis, ad esse determinantis.

QUÆRES 2. *An absolute voluntas necessitari possit.*

ASSERO. *Posse necessitari voluntatem, est contra Vasq. Bann. Alvarez, quibus opponunt se Suar. uterque Bellarm. & alii.*

RATIO. Quia id non implicat contradictionem. Deinde dari potest qualitas necessaria & determinata non nisi ad hoc, qualem agnoscunt Thomistæ suam Prædeterminationem: Hæc qualitas necessario inferret actum volitionis; hoc ipso enim non esset determinativa: Ergo per illam qualitatem necessitabitur voluntas: quia eam necessitari non aliud est, quam reddi non indifferentem in agendo.

DICES 1. Potentia necessaria non potest etiam divinitus liberè operari: Ergo nec libera necessario poterit operari.

RESPONSUM sup. Falsum esse Antecedens: Si enim divinitus potest frigidum producere calorem: quare necessarium non poterit assumi tanquam instrumentum per elevationem ad producendum aliquid liberum.

Probat etiam Argumentum multum; quia probat voluntatem nostram in patria non elicere actum necessarium amoris. Item divinam voluntatem non necessario seipsam amare, eo quod liberè possit aliquid amare v. g. decreta sua libera, existentiam creaturarum, &c. similia.

DICES 2. Stante judicio necessario non potest liberè operari voluntas: Ergo stante judicio indifferenti non potest operari necessario, alias ferretur in incognitum.

RESPONDETUR. Si sit res de judicio necessario per ordinem ad potentiam obedientialem poterit elevari judicium necessarium, ut sequatur actus liber: Si autem quæstio non procedat de elevatione, disparitas erit: quia ad libertatem requiritur vi definitionis, ut positus omnibus prærequisitis possit non agere voluntas: hinc quamvis maheat judicium indifferens, si aliunde ponatur determinatio, auferretur libertas. Posito autem judicio necessario, jam ponitur principium determinans, adeoque non poterit liberè operari voluntas.

TRACTATUS III.

De Actibus Humanis in ordine ad

Praxim.

Formavi Titulum Methodi causâ, Tractatum tamen hunc aliàs impressum, hic non adjicio, volens si Deo cordi fuerit, unâ omnes materias morales complecti.

Hæc postquam de Angelis & Actibus Humanis tractavimus, Angeli & Humani esse condicamus.

A. M. D. G. Bq; V. H.

b. M.

